

Sed satis de utilitate methodi torsionis cum reliquis comparata. Adjiciamus, quae maxime observanda sint, ut mensuram exhibeat exactam et commodam.

Et primum quidem praeter exactissimam divisionem circuli, quem index torsionis, Nonio muniendus, percurrere debet, anxie est ab artifice perficiendum, ut centrum torsionis, ex quo filum vel tænia tenuissima metallica, quam Ohmius filo etiam praefert, dependet, in centrum circuli divisi exacte cadat. Ad parallaxin in observanda acus positione vitandam, Ohmius filum sericeum verticali directione ante lineam, circulum divisum inferiorem medio secantem, tendit, oculumque observantem semper ita collocat, ut haec linea filo illo occultetur. Ipse ad eundem finem hac utor apparatus instructione. In superficie superiore acus secundum ejus axim lineam atram duxi, in circuli divisi inferioris autem margine speculum parvum erexi hac positione, ut oculo ex adverso sito imago lineae atrae, in acu delineatae per filum, quo acus dependet, obtegatur tum, cum acus ad suum situm reducta est.

Instrumenti positio ea esse debet, ut ante experimentum filum suspensorium nullatenus contortum sit, axisque acus magneticae exacte in meridionalem magneticam cadat. De quo si minus certi erimus, ex duplici mensura, directionem fluminis galvanici invertendo, vera mensura ut media erit elicienda.

5) *De methodo oscillationum.*

Methodum oscillationum, ad quam explicandam nunc accedo, Biotius excogitavit ad leges, secundum quas simplex filum jungens in acum magneticam agit, eruendas (Lehrb. v. Biot. T. IV. p. 170.) Sed mirum, a Francogallis non minus quam ab exteris hanc methodum praestantissimam dein ita oblivione sepultam jacuisse, ut ad quaslibet potius alias multo operosiores minusque accuratas methodos saepe confugerint, inscitia melioris.